LILIVM
D. CASIMIRI
REGNI POLONIÆ AC M. D. LITVANIÆ PATRONI,
NATALI CARMINE
CELEBRATVM:

atq;

ILLVSRTISSIMO AC REVERENDISSIMO D.

D. CASIMIRO PAC
EPISCOPO SAMOGITIÆ

VILNENSIQVE PRÆPOSITO &c. &c.

NATALEM D. TVTELARIS DIEM
CELEBRANTI,

a quodam è S. I.
humili suæ Celsitudinis cultore
dicatum

VILNÆ die 4. Mart. Anno 1669.

Dic, quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores ?

Virgil: Buc: Ecloga 3.

DEDICATIO ORATORIA

ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME D.

DOMINE & PATRONE SEMPER COLENDE

LILIVM D. CASIMIRI, singularis Regni Poloniæ, M. D. Lituaniæ, Tuæq; Celsitudinis Patroni, eo animo Illus: Celsitudini, Natales eius, Tuasq; ferias, celebranti, humiliter offero: quo, quid Tuæ Illus: Celsitudini hodie gratulari, quid uouere potissimum debeam, in hoc ueluti florum oculo, aut crystallo contemplor. Regia eius radix, incrementum cælicum, sublimitas palmaris, candor admirandus, odor fragrantissimus, maturitas fortunata, æternitas inuiolabilis, singula ac uniuersa, Tuæ Celsitudinis aut nostrorum uotorum specula. Nimirum si regiam eius stirpem recogitem, continuo ingens Illustrissimæ familiæ Tuæ decus, menti se offert: si proceritatem spectem, ad excelsum dignitatis Tuæ, Pontificiæ, atq; Senatoriæ apicem prouehor: si uigorem contemplor, labores Tuos pro re Ecclesiastica, & patriæ, indefesso animo exantlatos suspicio: si candorem mihi obiiciam, candidum, & sine nube pectus, in eximiam repansum humanitatem admiror: si odore prouocer, famâ religionis orthodoxæ inter ipsas hostium fauces conseruatæ, pietatis, aris, Diuisq; ararum præsidibus, deuotæ: liberalitatis in egenos, latè refusæ recreor. An hæc nō grandia Tuæ Celsitudini gratulandi inuitaměta; sin uero ad incrementa lilii CASIMIRIANI, cælis terrisq; fouendis paria respiciam, si ad eiusdem maturitatem omni uirtute atque gloriâ perfectam, mentē conuertam, si æternitatem securissimam, animo oppona.

ponam: quam Te Magnum ab omnibus ſpectari, qua gloriæ ſublimitate illuſtrē, quam felici perennitate trāquillum, cupere debeam, agnoſco. An hæc rurſus, non eximia uotorum Tibi ſacrādorū allectamenta! Gemino hodiè diē Natalē, cinctus exigis lilieto, CASIMIRIANO & PACIANO. Vtrumque, illis vernat floribꝰ, illis fæcundatur liliis, ut nihil ad decus, nihil ad amænitatem deſiderari merito poſſe uideatur. Eſt tamen, eſt quod Tui, Tibi optemus, ne flos Tuus cito decidat, ne marceſcat, ne manu fatali, priùs quam terrarum bono maturus, cælis inferatur. Non fruſtra maiores Tui, ita lilia gentilitiis in ſignis plantauêre, vt radice occultâ floreſcerent. Quicquid in tuo ſtemmate geris, flos eſt, quicquid in Tuis factis ſuſpicimus, lilium eſt, cuius radix non cernitur, quia æternitatis abditis inſerta: ad quam Tu glorioſo uitæ niſu eniteris, ibi Tua locaturus lilia, ubi liliorū Pacianorum radix condita: & quo Tuus iam ſua tranſtulit CASIMIRVS. Hoc porro dum agis, ut diu noſtris præſens obtutibus felix fauſtuſque agas, Tui precantur: atque cum iis ego pariter uoueo, uotique, me reum, lilij D. CASIMIRI ſacratis Tuo Natalitio laudibus, libens obſtringo.

Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ Celſitudinis

deuotus cultor

è S. I

DEDICATIO POETICA
REGALIS LILII
D. CASIMIRI
LILIO PACIANO.

Lux Paciorum, gloria Præsulum,
Orbis Poloni purpureum iubar,
O gemma sacrati senatus,
O niueum CASIMIRE *germen,*
O magne sanguis! quem niueis sibi
Stirps liliorum consecia frondibus,
Blandè coronauit; sacroq;
Nobilitas ueneranda serto,
In flore auito composuit thronum,
Radice firmâ. Non ego Patrios
Hic penso liliorum odores,
Et celebrem loquor à trecentis,
Creuisse viuo germine sæculis,
Florem Paternum. Tempora prospice
Annosa, & immensum locata
Sarmatico speculare cœlo,
Colende Præsul, luminis atria,
Laudesque maiorum; ad superos propè
Transuecta uirtutum colossis
stemmata, liligerosque ciues
Bene auspicati Nominis obuio
Metire vultu. Iam Tibi Patrio
In sole sublucent Dynastæ
Purpurei, patriumque pulchro

* *Lon-*

Longè frequentes ordine lilium,
Cinxere flores. Qualiter in solo
Plantata camporum ligustra, aut
Hesperijs rosa uerna campis,
Panchæa prati regna perambulat,
Stipata florum pignore: taliter
Illustre lilium frequenti,
Accumulat sua serta flore.
Hic se reclini quâ Samogitiæ
Orbis refundit, Præsuleum iubar,
Illustris Antistes refulget,
Sidereo NICOLAVS ostro.
Quem pone sacrâ Relligio manu,
Te sistit alto munere Præsulem:
Sacramque submittit Thiaram; &
Emeritum uenerata nomen
Ouile pandit; pandit, & atria
Virtutis immēsæ; & trabeam Tibi
Mitramque, lilijsq; fulum,
Astra uehunt CASIMIRE censum.
Illinc supremum militiæ caput,
De liliorum germine lilium,
Infractus in Martis procellis,
Dux MICHAEL pia bella forti
Disponit ausu: seu fera subdolis
Incumbat armis Moschua seu celer
Chouanscij in clades tumultus,
Seu Gothicus Leo castra sparsis
Insternat hastis non animo minor,
Perdecolores sanguine barbaro
Campos, triumphator recentes
Belligero metit ense lauros

Et

Et ille plenis se mihi cominus
Infundit ulnis CHRISTOPHORVS *graui*
Facundus Orator decore, &
Consilij benè fidus author.
Quem Tullianis Suada fauoribus,
Auriq; labens gratia flumine
Resperfit: electriq; torrens
Gemmiferis prope uexit undis:
Simul rubenti syrmate purpuræ
Obnubit ostrum, & Curia publico,
Sigilla submittit fauore,
Et Lechicum benè credit orbem.
Non & silenti Te quoq; nomine
Transibo vates nobile lilij
Germen, Palatine Opaterni,
Depositum NICOLAE *floris!*
Quem clara nuper fama per exteras
Deuexit urbes. Consilio, & manu
Paterna suspexere magnum
Limina, Littauicusq; Apollo
Laurosq;, & amplæ munera Curiæ
Sparsit theatro. Tu pariter mihi
Illustre Littuani senatus
Ingenitâ comitate suauis,
Felicitatis uectus in atrium
Accede FELIX, *Cuius in intimo*
Laudesque: uirtutesque passim
Pectore composuêre magnas
Honore dotes. Te quoque florido
Semper perennem stemmate lilij,
Inuicte CONSTANTINE, *celsis*
Tollit Honor super astra pennis:

Non & tacenti Te mihi barbito
Parnassus offert: Viuida bellicæ
Propago virtutis, Gradiui
Bellisonis BONIFACI in armis,
Quem Martiali gloria munere
Ferroque, & hastâ conspicuum, suis
Attollit in cœlos lacertis,
Emeritâ statione Martem.
At quî minori, magna ego Numine
Attento vates Nomina? Lilium
Sit meta laudi, purpuratis
Præsuleum Diadema sertis,
Pennam reposcit. Viue perennibus
O magne Præsul, viue lo lilijs!
Dum Numen incrementa vitæ
Perpetuo tibi spondet æuo.
Quodsi fauenti pectore prouida
Tellus reuincit lilia lilijs,
Rosasque desponsat roseto,
Et similes amaranthus ortus
Ambit propinquo germine? Rectiùs
Regalis horti gemma recens Tuo
Stat Lilieto, stant auito
Lilia consociata flori.
Hinc iure adornat germine Regio
Regale sertum; Præsuleum caput:
Diesque longæuos Patronus
Liligeris tibi nectit annis.

REGALIS LILII D. CASIMIRI RADIX.

Erumpet Radix eius ut Libani Oseæ 14

O D E. I.

Et quod serenis sub Penetralibus
Regale vernat Lilium; & aureis
Immiscet argentum *Pyropis*,
Nec medios pauet inter ignes
Calentis Astri? sanguine Regio
Late perennat germen ab Inclyto,
Satum CASIMIRO; & trecentis
Sarmatiæ super orbe Ceris.
Regum, superno pullulat è Throno
Flos Regiorum gloria collium,
Sanguis Dynastarum, Poloni
Subsidium, columenq; sceptri.
Reges creantur Regibus; Inclytum
Et Rex leonem progenerat leo
Virtutis hæredem Paternæ;
Et proauis similem nepotem
Natura florem plantat; & asseclas
Circùm maritat cum violis rosas,
Regni virescentis; suumq;
Lilia concomitantur ortum.
Te plena blandis gratia brachijs

Ortum Paterno composuit sinu
Regem; Triumphaliq; cunas
Forma decens cumulauit ostro.
Laurosq; Palmasq; & Trabeas super
Et liliorum conspicuè niues,
Fudit reclinem; cresce magnis
Digne Ducum CASIMIRE sceptris.
Te purpuratum syrma trahens decus
Obnubit ostro, Te Themis, & sacer
Cæli coruscantis Senatus,
Et niueum sine nube iustum,
Ortum superno sanguine lilium
Adorat imo poplite, candidis
Quem vera delinit lacertis
Relligio, superûmq cultus,
Ingensque Lechi mundus, & extimo
Columna Salæ margine, & aurei
Currus planetarum reductis
Mane nouo uenerantur astris.
Interq; Regum nomina ab aureis
Vetustà sæclis nobile lilij
Regalis attollunt trophæum
Perpetuis monumenta lustris.
Quod æuiternis posthuma cursibus
Miretur ætas, & roseæ viror
Æstatis, & longè reductis
Sol moriens, oriensq; stellis.

RE

REGALIS LILII D. CASIMIRI INCREMENTVM

Deus Incrementum dedit. 1 *cor.* 3

ODE II.

Et iam uirenti germine lilium
Satum beato Sarmatiæ ſolo,
Regum, Dynaſtarumq; ſanguis
Belligero â Iagelone primis
Vireſcit annis; ſidera in aureas
Liquata venas non uacui Midæ
Riuiq; torrenteſq; gemmarum
Irriguo cecidere cœlo.
Creſce! O Poloni grande decus Throni
Rex orte Regum ſanguine, lilium
Intaminatum, creſce auitis
Magne thronis, Patrioq pridem
Promiſſe cœlo. Quâ roſeum caput
Phæbus renaſcens tollit ab Indiis
Orbi redonandꝰ Polono, &
Viſtuleo lauat amne crinem.
Te Ruſſus, Iſter, Te Mare Balthicum,
Suique plenus Vilia, Te Chronus,
Et diues electri fluentis
Narula, Lechiadum Monarchæ
Illime flectit littoribus genu,

Gemmasque voluit prodigus. En Tibi
Auro laboratum decenter
Deproperat CASIMIRE censum
Mauortiarùm Gloria Gentium,
Lechiq; virtus Martia, & aurei
Regina libertas Trionis,
Et Lechicus Tibi vota mundus
Bene auspicatis sacrat honoribus
Pupilla Regum. Iam Tibi *Pectore*
Virtus, verecundusque circùm
Virgineo, sedet ore candor,
Virtutis Ind*ex*. *Te* probitas sacris
Auita semper comprobat ignibus,
Fidesque, Diuorumque cultus,
Et niuei sine labe mores,
Hymnique laudesq; haud popularium
Portenta vatum. Et munificentia
Torrente dimanans refusis
In populos, Proceresq; gazis
Insedit artùs. Te sapientia
Apollinari scripsit in agmine,
Lauroque, lilijsq; fertur
Docta Themis redimîsse in ipsis
Rex magne cunis. Sub minimo latet
Augusta semper stirps. Aquilæ suo
Noscuntur è nido nepotes:
E minimo *Leo* magnus vngue.
Aurora nascens vatidicam prope
Infert sereno sole meridiem.
Virtutis incrementa paruo
Sæpe latent CASIMIRE flore.

RE

REGALIS LILII D. CASIMIRI STATVRA.

Statura tua assimilata Palmæ Cant. 7.

ODE III.

Procumbe moles quam Pariis locat
Perita venis dextera; seu Pharos
Ignita, seu ductæ superbis
Marmoribus, Babylonis Arces,
Terram caducis verticibus super
Librate Regum Lilio: vt obuias
Se tollit immensum per auras
Flos Lechicæ CASIMIRVS oræ.
Immensa strictis littoribus nequit
Virtus teneri; surgit, & inclytum
Plantata Cypressus supernis,
Mole caput leuat vsq; cælis,
Nec præliantis murmura Nerei,
*Iras*q; ventorum, & rabiem Noti,
Eurosq; reflantesque Cauri
Palma minas timet, explicatis
Inuicta ramis. *Porta* tonet poli,
Orbemq lustret Iupiter ignibus
Dumeta, siluarumque frondes,
Fulmineo populentur æstu,
Inuicta densis Palma sub ictibus

Insultat igni: & per medias super
Euecta ventorum procellas,
Stellifero caput æquat orbi.
Talis Paternis sub Penetralibus
Flos Regiorum gloria fascium
Viges, & excessim superbas,
Anteuolas statione, terras:
Nusquam caducis nictibus infimas
Rerum ruinas, & dubiam prope
Sortem, repentinosque mundi
Mente humili meditaris ortus.
Suprema magnis Regibus æmulus,
Momenta Regum non dubiè premis
Athleta: *Lilijque* plenum
Flore diem, vehis usque cælo.
Te nec superbo Regia culmine,
Nec purpurarum sidere clarior
Deflexit visus: nec refulgens
Assyrio graue vellus auro:
Aut spina densis obuia sentibus
Intaminata sub niue Lilium ex-
-Armauit, insontemque læsit
Lethiferis leuis aula telis.
Inuictus audis seu Trabeas Ducum
Regnum dicatis sistat adoreis:
Regale seu sceptrum decenter
Altus honor tibi flectat aris.

RE

REGALIS LILII D. CASIMIRI VIGOR.

Non dabis Sanctum tuum uidere corruptionem. Psal 15.

ODE IV.

Auara Thuſcis Marmor in atriis
Exedit ætas. Tempus ab aureis
Proſcribit Heróas columnis.
Nec Pario memoranda ſaxo
Columna ſeris fixa nepotibus
Obſiſtit Euris. Occidit, occidit
Ingens Alexandria, & amplas
Mole cinis ſepeliuit arces.
Sors æqua Cedris, & Pariis uenit
Citata paſſu Marmoribus: neque
Effugit hybernæ vireſcens
Flos uiridis cariem ſenectæ.
An & perennis corporibus vigor
Mortalitatis ſemina diſtulit?
Sepulta liueſcunt, in ipſis
Pulueribus benè dormit æquâ
Ætas ruinâ. ſiue virentibus
Nitamur annis, ſeu tremuli pede
Nullius annisu repente
Occiduas meditamur horas
Vigore caſsi. Solus ad extimam

Mortalitatis nescius orbitam
Flos nate vernas. O perenni
Digne Cedro, Pariisque latè
Sculpende saxis! perpetuum Tibi
Ætas recenti flore per aureos
Transvecta pratorum colores:
Nec carie Lachesis resecto
Inspersit artus stamine. Stat vigor
Intaminato pectore: seu rosas
Hyberna delusit pruina,
Seu exanimes cecidere nardi,
Augusta vernant lilia. Seu nives
Defleuit æstas torrida, languido
In sole, seu molles acanthi
Lassa solo posuere colla.
Regum perennat flos: nec in hospita
Duella ventorum, aut Boreæ minas,
Currumque torpentis Bootæ, aut
Fata pauet morientis hædi.
Sic nempe nullis obuia casibus
Fortuna Regum culmina transuolat.
Regale demirata germen:
Innocuam sinit esse plantam
Floris Beati. quem rigui super
Cunis reclinem sidere depluo
Myrrhæ perennantis recenter,
Sic temerè cecidere nimbi.

RE

REGALIS LILII D. CASIMIRI CANDOR.

Pulchritudinem candoris eius admirabitur oculus Eccl: 43.

ODE V.

Est & virentes non humilis calor
Lustrare Maios. Tollite gratiæ,
Auræq; , uentiq; ad perennes
Sarmatiæ Zephiritis hortos.
Quâ molle pratum purpureus terit
Campi Senatus, quâ roseum rubet
Terræ pauimentum, & reuulsâ
Arua nitent sine sente glebâ.
Vbi renascens punicei nitet
Regina campi cum violis rosa,
Mollesq; narcissi, & tepentes
Vere nouo spatiantur auræ.
Hic inter aruorum, & Zephiri iocos,
Regûmq; flores Vatidicum placet
Caput reclinasse, & virenti
Sic temere iacuisse fronde.
Regale sed me sollicitum iubet
Lenire Somnos Lilium. O florida
Campi renascentis uenustas.
Flos Lechici CASIMIRE Regni,
Aurora ueris, prima uirentium

Æstate uernâ gloria frondium,
Stirps sacra, mentiumque uena
Sarmatiæ rosa nata campo!
Te pura virtus virgineâ manu
Per Regiorum tecta Penatium
Deuexit, illæsumque passim,
Liligero dedit ire Cœlo!
Interque ciues, non morientium
Te liliorum, uirgineus pudor
Sacrauit heredem, & rubenti
Virgineus prope candor ostrô
Insedit imis sub penetralibus,
Et iura scripsit fœdere castitas,
Pectusque Regale æuiterno
Virginitas sibi legit ausu.
O flos perenni, candidior niue
Regalis horti! non Tibi nubibus
Infusa nimborum pruina
Puniceam CASIMIRE gemmam
Morsu tenaci carpsit. Ebur uelut,
Primique candor solis amabili
Fulges in argento, aut reductis
Sole nouo Cynosura stellis.
Aut qualis inter fata canens olor,
Candore ridet mistus oloribus:
Purisque pennarum refulget
Sub niuibus radiante Cœlo.

RE

REGALIS LILII D. CASIMIRI ODOR.

Ecce odor [Lilij] *sicut odor agri pleni Gen.* 7.

ODE VI.

Inuicta leni non ego barbito,
Cantabo Regum facta potentium; aut
Non erubescendos nepotes,
A Lechico memores Gradiuo
Censebo *Vates*. Tristibus immori
Nequit sepulchris Gloria Patrijs
Ceris redonata, & disertas
Eloquii prope uincit undas.
Hos ter reductis posthuma sæculis
Emensa claras temporis orbitas,
Trophæa collustrant: uigentq;
Gesta tholo, memoriq; uiuos
Mensurat æuo. Non ego Martios
Inter supremæ lumen adoreæ
Scribo BOLESLAOS & amplæ
Teste Deo monumenta famæ.
Non magna cœlo Numina, & aureis
Inscripta fastis, uatidicâ chely
Canto SIGISMVNDVM aut subactas,
Belligero IAGELONE pugnas,
Cædesque Parthi, & sanguine pinguia
Dumeta Russi, aut Treiicias tibi
Inuicte VLADISLAE *Lauros*.

c2 De-

Depropero leuiore plectro.
Leuis tuarum hic Oceanum pauet
Carina laudum. Te potius mihi
Sidus ſub Arctoo trione
Pierio CASIMIRE plectro
Inſcribo faſtis, Te redolentium
Amæna florum gratia, Martijs
Orbi redonatum calendis,
Laurigero celebro trophæo.
Cuî ſparſa latè lilia vallium,
Campiq; flos, & copia narium,
Ordo liguſtrorum niualis,
Et riguo Paradiſus auro
Vtcunque ſacrum Virgo premis pedem.
Beatus inter Lilia, debitum.
Panchæa pratorum refundunt
Regna, palam CASIMIRE, cenſum.
Perenniori ſe tibi balſamum
Infudit vnguento, & redolentium
Ager roſetorum & beatis
Diues Arabs per aprica campis.
Non, & Sabeæ Myrrhæ opulentia
In flore Regum deſtituit Thronum.
Vnguenta cum virtus retexit
Non Cilicum placuere merces.
Minus retentæ ſplendidior rei
Rex Magne quanto, Gloria te Throno
Euexit: æternâq; ſcripſit,
Sorte DEVS, Dominumque mundi
Per Laureatæ Pergama curiæ,
Auróque latè regna virentia
Vulgauit, illimi reſultant
Gaudia ubi medicata vino.

REGALIS LILII D. CASIMIRI MATVRITAS.

Præueni in maturitate Psal. 118.

ODE VII.

Quantus rosarum Phœbus, in atriis
Latè sereno uectus in essedo, aut
Septem planetarum in corona
Per medium spatiatur axem;
Camposq; inaurat, mane recens nouo
Crescens ab ortu. Taliter in nouo
Aurora consurgens Trione,
Sceptra simul, Lechicosque pleno
Bene auspicatis sideribus iubar
Maturus auges lumine: & aureos
Orbi Polonorum nitores
De tenero meditaris ungue.
Matura primis sæpius indoles
Accreuit annis: & senio grauis
Sese reclinauit virenti
Flore dies: viridique scirpo
Autumnus irrepsit. sibi conscia
Plerumque paruo vere perennitas.
Adæquat interdum pusillus.
Grande supercilium Catonis.
O magna magni Consilii capax,

D Se-

Seseq; maior stirps Iagelonidum,
Propago Diuorum, qui ab ipso
Ducis opes CASIMIRE Cœlo!
In flore vernis cum sibi prouida
Ætas propinquat passibus. O Tibi
Adultà succreuit virenti
Cana fides, pietásq; flore!
Non longá mento barba uirum facit.
Hirtæq; canum temporibus comæ, aut
Senilis argento capillus,
Nec Pyliis coma fæta cirris
Primæua virtus germina prouido
Fæcundat ortu. Gratior aureo
Aurora sublucens sereno,
Et croceo rosa nata campo:
Quam si reclinis cum senio dies
O ffundat umbras: aut tremulo pede
Demersus in lymphas Orion
Occiduum caput abdat vrnæ,
Mortalitatis. Te sibi plenior
Ætas in annis flore recentibus
Sponsauit. O sidus beatæ
Gentis, Hyperboreoq; longè
Stirps nata mundo; Te Trabeæ, & Throni
Ordoq; virtutum, & redolentium
Campus rosetorum, & secundo
Gloria concomitata passu
Maturioris consilij Patrem
Primo recenset germine; seu tener,
Seu grandis æstatis secundæ,
Regificos tibi uoluis, annos.

RE

REGALIS LILII D. CASIMIRI ÆTERNITAS.

Dedit illi claritatem æternam Sap. 10.

ODE. VIII.

Nil eſt ab omni parte perennibus
Fixum columnis. Terra premit Phrygas.
Vaſtata Cœlorum ruinis
Cum populis periêre regna.
Idemque ſceptrum cum Trabeis graui
Premit ſepulchro compoſitus lapis.
Mortale nil ultra ſupremos
Ire ualet ſine lege fines.
Capax in omnes vrna. ſed omnibus
Exempta Fatis, ſanguinis Inclyti
Propago, nil debes caducæ
Imperiis CASIMIRE ſortis.
Quêm celſa virtus emeritum ſuper
Perenne lumen ſuſtulit: & polus
Adorat æternum ſupernis
Indigetem, Dominumq; cœlis.
Hic Te refuſo gratia germine,
Et liliorum argenteus ambitu
Ordo coronat, fonte uiuo &
Irriguis Amaranthus ulnis
Veriſque primi Gloria & aurei

D2 Regi-

Regina prati, cum violis rosa,
Scenæque Narcissorum, & amplis.
Puniceus Paradisus aruis.
Tibi profundis Oceanus patet
Diuinitatis littoribus super-
Infusus, & labens perenni
Fonte Trias super effluenter
Inundat artus. Crescis in aurea
Æternitatis tempora lilium:
O Digne diuorum supremo
Digne DEi CASIMIRE cætu!
Quem pone vernum tempus, & aureis
Horæ quadrigis, & senij, incapax
Autumnus, æstatisq; plenæ
Vernat ager prope ter renatis
Fæcundus herbis. quod metuat nefas
Mortalitatis littore defluum,
Exempta fatorum sepulchris
Orta sacro â Iagelone virtus?
Non fulmen Austri, non Lachesis manum;
Non dura Parcæ stamina palluit:
Quem Numen illæsum, è nefastis
Ad superos vehit axe terris.
Hinc ille summi Numinis accola,
Euectus altis cardinibus poli,
Calcat sepulchrales recessus:
Nec dubias variantis astri
Formidat umbras, Hic Tibi prosperæ
Fixum Beato margine lilium
Current Calendæ, liliorum hic
Perpetui CASIMIRE menses.